



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Forma Professionis fidei, ex Trid. Bulla Pij IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

Forma Professionis Fidei ex Trid. & Bulla  
Pii IV.

**E**GO N. N. firmâ Fide credo, & profiteor  
omnia, & singula, quæ continentur in  
Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia  
utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem  
&c. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones,  
reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, &  
constitutiones firmissimè admitto, & ample-  
ctor. Item sacram Scripturam juxta eum sen-  
sum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ec-  
clesia, cujus est judicare de vero sensu, & in-  
terpretatione sacrarum Scripturarum, admit-  
to: nec eam unquam nisi juxta unanimum con-  
sensum Patrum accipiam, & interpretabor.  
Profiteor quoque septem esse verè, & propriè  
Sacramenta novæ Legis à Jesu Christo Domi-  
no nostro instituta, atque ad salutem humani  
generis, licet non omnia singulis, necessaria,  
scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucha-  
ristiam, Pœnitentiam, Extremam Unctio-  
nem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gra-  
tiam conferre, & ex his Baptismum, Confir-  
mationem, & Ordinem sine sacrilegio reitera-  
ri non posse. Receptos quoque, & approba-  
tos Ecclesiæ Catholice ritus in supradictorum  
omnium Sacramentum administratione reci-  
pio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de  
peccato originali, & de justificatione in sacro-  
sancta Tridentina Synodo definita, & declara-  
ta fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor  
pariter in Missa offerri Deo verum, proprium,  
& propitiatorium Sacrificium pro vivis, & de-  
functis



310 *Part 3. 17. 3. cap. 8. Forma Professionis Fidei.*  
functis : atque in sanctissimo Eucharistiæ Sa-  
cramento esse verè, realiter, & substantialiter  
Corpus, & Sanguinem unà cum anima, & di-  
vinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique  
conversionem totius substantiæ panis in Cor-  
pus, & totius substantiæ vini in Sanguinem:  
quam conversionem Catholica Ecclesia tran-  
substantiationem appellat. Fateor etiam sub  
altera tantùm specie totum, atque integrum  
Christum, verumque Sacramentum sumi. Con-  
stanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi  
detentas fidelium suffragiis juvari : Similiter &  
Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos,  
atque invocandos esse, eosque orationes Deo  
pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse  
venerandas : Firmissimè assero imagines Chri-  
sti, ac Deiparæ semper Virginis, nec non alio-  
rum Sanctorum habendas, & retinendas esse,  
atque eis debitum honorem, ac venerationem  
impertiendam. Indulgentiarum etiam potesta-  
tem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illa-  
rumque usum Christiano populo maximè salu-  
tarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, &  
Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ec-  
clesiarum Matrem, & Magistram agnosco: Ro-  
manoque Pontifici B. Petri Apostolorum Prin-  
cipis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram  
obedientiam spondeo, ac juro : cætera item à  
sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac  
præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tra-  
dita, definita, & declarata, indubitanter re-  
cipio, atque profiteor, simulque contraria om-  
nia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia  
damnatas, & rejectas, & anathematizatas,  
ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.  
Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam ne-  
mo



*Pars 3. tr. 3. cap. 8. Forma Professionis Fidei. 311*  
mo salvus esse potest, quam in præsentî spontè  
profiteor, & veraciter teneo eandem inte-  
gram, & inviolatam usque ad extremum vitæ  
spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retine-  
re, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis,  
quorum cura ad me in munere meo spectabit,  
teneri, doceri, & prædicari, quantum in me  
erit, curaturum, Ego idem N. N. spondeo, vo-  
veo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc  
Sancta Dei Evangelia.

*Praxis disponendi ad actus in Contritione perfecta  
requisitos.*

1. **C**onsidera N. seriò, & cum intimo animi  
sensu, Te graviter offendisse, & toties  
offendisse infinitam Dei majestatem, tuum  
Creatorem, Redemptorem, & Judicem supre-  
mum, qui eodem momento quo peccabas po-  
terat Te detrudere ad æterna inferorum suppli-  
cia, in quibus hac ipsa hora, & per infinita an-  
norum millia sine spe veniæ ardere debuisses, ut  
alii innumeri, *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.*

1. Ex altera parte expende, Paternam Dei  
Misericordiam, Bonitatem, & Benignitatem  
infinitam, qui Te tanquam Filium prodigum,  
expansis in Cruce brachiis, ad penitentiam ad-  
ducit, & inclinato Capite ad osculum æternæ  
pacis & amoris admittit, dicens, *Nolo mortem  
peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* Quis  
Rex aut Princeps subditum & mancipium suum  
Læsæ majestatis reum tam benignè absolveret,  
& ad suam aulam & gratiam admitteret? O  
Pater misericordiarum! O Deus totius consola-  
tionis meæ.

*Actus*